

jecturis comparatas, quarum plurimæ, utpote nimium vagæ, in ancipiti semper versari videbuntur, nisi moderatione temperentur. Normam itaque sequendam designo; ut a mendacibus & incertis Traditiones Ecclesiasticas secernamus. Ecce tibi communes vias, quibus si insistas, lumen fortasse aliquod aspicient Criticæ Regulæ, earumdemque usus utilior, constantior, & sibi similior evadet.

Quæ cum dixi, totiusque Operis formam, & consilii mei rationem aperui, æqua suboritur formido, ne Lector Sapientum illorum, in quos cadunt Animadversiones meæ, favore præoccupatus, facinori meo non mediocris audaciæ notam inurat. Candide fateor, iudicium hoc optime videri constitutum; eum tamen oro obtestorque, ne quicquam pronunciet, priusquam reputaverit, nonnullos ex iis, qui observationibus meis materiem subministrant, mihi in huiusmodi labore animos addidisse. Non est cur, ajunt isti, vituperemus libertatem detegendi doctorum hominum lapsus; multo vero minus, si in eorum Opera dubitationes tantummodo proponantur. Uni illi redarguendi sunt, qui ficta in Scriptores crimina constant, quique illos durius appellant, atque acerbis stylo insectantur; sive ut de ipsorum fama detrahant, sive ut illorum gloriam imminuant. Ceterum ii, quorum castigatissimæ censuræ modestiam undique redolent; quique ad scribendum accedunt, ut sibi ipsis clariorem lucem acquirant, laudibus potius celebrandi sunt, quam reprehensionibus exagitandi. Tantum abest, ut Litteratorum istorum existimationem violare cogitaverim; ut ingenua fide profitear, me, si qua in bonis litteris valeo intelligentia, hanc totam eorum exquisito iudicio & singulari eruditioni debere; cum Opus meum nihil aliud, quam Operum illorum summa dicendum sit; & quidquid cum in contextu sermonis, tum in notationibus digessi, totum pene ab eorum scriptis decerpserim: ita ut si quilibet, quod suum est, jure repeteret, de meo superessent pauculæ tantum Animadversiones, quas etiam interfererem, ab iisdem Viris occasionem nactus sum. Quæ omnia testatissimo erunt argumento observantiæ summæ, qua profæquor, quæcumque ab eis conscripta sunt.

Ad scribendi modum quod attinet, egregia illa effata servavi, quæ ex Eruditis istis nonnulli enunciarunt; ut vim & robur ab acrimonia & arrogantia distinguerent. Hæc nos docent, ut eorum, quæ partim veritati, partim justitiæ, partim amicitiae & reverentiæ tribuenda sunt, rationem habeamus. Ego sane dum Criticorum Opera expendi, veritati unice consului; at veritas nullo modo iis morem gerere cogit, quæ recta non sunt, neque scrupulos suffocare, qui de Autorum Scriptis oriri possunt. Quantum ad Justitiæ partes, injustas vias perpetuo abjeci, Veritatis licet causæ non parum profuturæ viderentur; cum plane sint honesto homine indignæ, qui alio non spectat, quam ut semetipsum erudiat, & veritatis recessus pervadat. De Sapientibus tandem istis ea cum dignitate & circumspeditione verba facio, ut nihil magis, immo aliorum de ipsis dicta recitans, studiose curavi, ut quæ minus liberaliter prolata erant, supprimerem: